

tans : « Et si, repudiata Uxore, cum secunda contraxerit, etiam post Baptismum dimittet secundam, et adhærebit primæ repudiatæ, etiamsi repudiata cum alio contraxisset. »

(49. Secus autem esset dicendum, si ipsa repudiata, non solum cum alio contraxisset, sed alias fornicata fuisset. *Communis*, textu expresso in cit. c. *Gaudemus* in fine, ibi : « Non tamen dimissor poterit obicere fornicationem dimissæ, pro eo quod nupsit alteri post repudium, alias fuerit fornicata, » et concordat ejus Summarium, ubi expresse dicitur : « Secus si fornicata fuisset. »

(50. Si ex duobus Conjugibus Infidelibus unus tantum convertatur ad Fidem, at alter monitus, et rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, et periculo perversionis Conversi, tunc Matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum, ita ut Conjux Fidelis possit aliud Matrimonium, etiamsi contrahere cum Fideli ante omnem sententiam. Vide verb. *Impedimenta Matrimonii*, art. 1, n. 93.

(51. Tale autem Matrimonium non statim ipso facto dissolvitur, cum unus Infidelium Conjugum convertitur ad Fidem, sed tunc primum, quando conversus ad alias nuptias actu transierit. Unde si alter Conjux adhuc Infidelis, antequam Conjux conversus cum alio Fideli contrahat, ad Fidem quoque convertatur, huic adhæreere debet, cit. c. *Gaudemus* 8 de divortii, § *qui autem*, ibi : « Quod si conversum ad Fidem, et illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat Uxorem, eam recipere compelletur, » et ibi Gloss. verb. *Compelletur*; Engel. lib. 3 Decretal. tit. 33, n. 2; Reiffenstuel. ib. n. 4 et alii.

(52. Non potest autem Conjux conversus ad Fidem solvere Matrimonium, quando Infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, et sine periculo perversionis conversi, licet nolit ipse converti. Vide dict. verb. *Impedimenta Matrimonii*, art. 1, n. 94.

(53. Si Conjuges Infideles habeant prolem, et unus eorum convertatur ad Fidem, eidem sive Pater, sive Mater sit, restitui debet tota proles doli adhuc incapax. *Communis*, ac certa, textu expresso in c. *Judæi*, 10, caus. 28, quæst. 1, c. *Ex litteris*, 2, de conversione infidelium, juncto ejus Summario sic dicente : « Si alter Infidelium Conjugum venit ad Fidem, altero remanente in Infidelitatis errore, communis proles assignatur converso. »

(54. Si autem proles sit jam doli, et rationis capax, ejus libertati relinquitur, an conversum ad Fidem vel potius Infidelem parentem sequi velit. *Communis*, per text. in cap. ad finem 33, caus. 23, qu. 5, ubi expresse dicitur : « quoad Fidem nullus cogendus est invitus, » quod etiam statutum fuit in Concilio Toletano IV, c. 56, relato in c. *Judæis* 5, dist. 45, ibi : « De Judæis autem præcepit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri; » ubi insuper hæc ratio subjungitur : « Cui enim vult, Deus miseretur, et quem vult, indurat; non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit Justitia; sicut enim homo pro-

pria arbitrii voluntate serpenti obediens perit, sic vocante se gratia Dei propria mentis conversione quisque credendo salvatur, ergo non vi, sed libera arbitrii sui voluntate et facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius compellendi. »

(55. In dubio tamen an proles sit rationis, et doli capax; judicandum est pro favore Religionis, et consequenter proles parenti converso est restituenda; argum. cit., c. *Ex litteris*, 2, de convers. Infidelium; et leg. *Sunt Personæ*, 43, ff. de Religios. et sumptib. funer. ubi dicitur : summam esse rationem quæ pro Religione facit; Sanchez. lib. 7, de Matrim. disp. 73, n. 16; Reiffenstuel. loco citat., n. 7 et alii passim.

(56. Conjugatus in Ecclesia latina non potest ad Sacros Ordines promoveri, nisi ab Uxore continentiam proficiente expressam licentiam obtinuerit. *Communis*, textu expresso in c. *Conjugatus* 5, de conversione Conjugator. ibi : « Nullus Conjugatorum est ad Sacros Ordines promovendus, nisi ab Uxore continentiam proficiente fuerit absolutus, » et concordat c. *Sane* 6, eodem c. *Seriatim* 14, dist. 23 et c. *Episcopus* 6, dist. 77.

(57. Et hoc, etiamsi Matrimonium nondum fuerit consummatum. *Communis*, textu expresso in Extravagant. Antiquæ Joan. XXII de voto, ibi : « Auctoritate Apostolica districtius inhibetur, ne quispiam durante Matrimonio nondum etiam consummato, aliquem de Sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout Sacris Ordinibus noverit convenire. »

(58. Potest tamen Conjugatus etiam post Matrimonium consummatum ad Sacros Ordines promoveri etiam sine licentia Uxoris, immo ipsa invita, et reclamante, si habeat legitimam divortii causam ob notorium v. g. aut legitime probatum ipsius Uxoris adulterium. Ob talem enim causam Jure Divino Matthæi cap. 19, et quidem in perpetuum; c. *significasti* 4, de divortii, potest Vir in posterum continens dimittere Uxorem suam quoad cohabitationem, et sic ipsa etiam invita, et reclamante ad Sacros Ordines promoveri; et ratio est, quia Uxor adultera totum suum Jus amisit ad Virum. Unde sicuti ex dictis supra n. 26, et sub verb. *Divortium* n. 44, cum communi Doctorum, quando unus Conjugum adulterium committit, potest eo invito, et reclamante, alter Conjux innocens Religionem ingredi, ita etiam Vir innocens potest, Uxore adultera invita, et reclamante, Ordines Sacros recipere, cum non sit major ratio, cur in tali casu Uxore invita, et reclamante, possit Vir Religionem ingredi, et non in sæculo manens Ordines Sacros recipere. Sic Glossa in cap. *Constitutus* 15 de conversione Conjugator. verb. *ad gradum Sacerdotii*, et ibi Abbas n. 41; Navarr. lib. 4, de Sponsalib. consil. 23, n. 6; Silvester verb. *Divortium*, quæst. 17, num. 20; Pirhing. lib. 3, Decretal. tit. 32, n. 34; Sanchez lib. 10 de Matrimonio disp. 22, n. 16, citans plurimos alios; Reiffenstuel lib. 3, Decretal. tit. 32, n. 33, testans de communi et probabiliori contra Innocentium, et

Joann. Andream, Hostiens. et alios, eodem lib. 3 Decretal. tit. 3, n. 32, ubi testatur de communi; arg. cit., cap. *Constitutus* 15, de conversione Conjugatorum. Vide d. verb. *Divortium* num. 51 et 52. Vide etiam notam Romani Theologi (1).

(59. Conjugatus non solum ad Sacros, sed nec etiam ad primam Tonsuram, et Minores Ordines promoveri potest sine Uxoris licentia, et aliis requisitis numero sequenti assignandis; Gloss. in cap. *Conjugatus* 5 de conversione Conjugatorum verb. *Ad Sacros* et ibi : Joann. Andreas n. 3 et alia Glossa in c. ult. de temporib. Ordinat. in 6, verb. *Definitum*; Abbas in c. *Sane* 2 de Clericis Conjugatis n. 3; Barbosa in Extravagant. Antiquæ Joan. XXII de voto num. 4; Reiffenstuel. l. 3, Decret. t. 3, n. 53. Pirhing. ibid. n. 2 et l. 3 Decretal. tit. 32, n. 37; Sanchez. lib. 7, de Matrim. disp. 38, n. 9 et alii passim per text. in cap. ult. de temporibus Ordinat. in 6, ubi expresse statuitur, quod « nullus Episcopus, vel quivis alius Clericalem præsumat conferre Tonsuram Conjugato, nisi voluerit Religionem intrare, aut ad Sacros Ordines promoveri, prout est Sacris Canonibus definitum : » Ecclesia enim non permittit, nec potest Episcopus dispensare in hoc, ut Conjugatus fiat Clericus ad permanendum in sola Tonsura et solis Minoribus; per cit. c. Ult. de Temporibus Ordinat. in 6, et Concil. Trid. sess. 23 de reform. cap. 4, ubi statuitur « Clericale Tonsuram non esse conferendam illis de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis Judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum elegisse; » Talis autem probabilis conjectura nequit haberi de Clericis uxoris, nisi voluerint Religionem intrare aut ad Sacros Ordines promoveri.

(60. Ut Conjugatus igitur ad Ordines promoveri possit, præter licentiam Uxoris, requiritur etiam ut ipsa Uxor in sæculo manens perpetuum castitatem voveat, si sit senex, et sine suspitione, ac periculo incontinentiæ; si autem sit juvenis, vel suspecta de incontinentia, etiam Religionem ingredi debet, juxta dicta supra n. 24. Et ratio est, quia si Uxor Professi in Religione, cum est senex, et sine suspitione, ac periculo incontinentiæ, sufficit quod in sæculo manens perpetuum Castitatem voveat, et cum est juvenis, vel suspecta de incontinentia, requiritur insuper, ut Religionem, seu Monasterium ingrediatur, c. *Cum sis* 4, cap. *Uxoratus* 7, cap. *Ad Apostolicum* 13, de conversione Conjugator., multo magis id dicendum est de Uxore Clerici sæcularis Promoti ad Ordines, quia facilius potest talis Clericus Uxorem invisere, ideoque majus subest periculum incontinentiæ, quam ex parte Professi in Religione. Sic Glossa fere communiter recepta in cap. *Conjugatus* verb. *Ab uxore* de

(1) Non ita liber est Conjux innocens ad in Religionem ingrediendum, ut re nondum judicata separari, et Religionem ingredi possit; præcedere etenim debet Ecclesiastici Judicii sententia. Publica namque separatio requirit publicam Judicis Ecclesiastici auctoritatem, ex cap. 5 et 6, de divort., alio-

conversione Conjugator.; Abbas num. 4; La Croix lib. 6, part. 2, num. 2220, testans de communi, et probabiliori; Sanchez lib. 7 de Matrim. disp. 39, num. 6; Pirhing. loco cit. num. 59 et alii per text. in cap. *Episcopus* 6, dist. 77, ubi sic habetur : « Sane si Conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam Uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, Religione promissa posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur. » Vide supra num. 24, et discurre ut ibi.

(61. Conjugatus non potest ordinari Episcopus, nisi de expressa licentia Uxoris, et nisi ipsa Uxor prius Religionem profiteatur, nec sufficit, quod illa perpetuam Castitatem in sæculo voveat, quamvis sit senex, et sine suspitione incontinentiæ. *Communis*, textu expresso in cap. *Sane* 6 de conversione Conjugator., juncto ejus Summario sic expresse dicente : « Uxoratus in Episcopum promoveri non potest, nisi Uxor Religionem profiteatur. » Cum enim ibi Pontifex generaliter loquatur de Uxore Episcopi, non distinguens de sene, aut juvene, de suspecta aut non suspecta incontinentiæ, etiam nos indistincte de quacumque Uxore Episcopi intelligere debemus, cum verba generalia generaliter sint intelligenda, et ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus; cap. *Quia circa* 22 de Privileg. et l. *De pretio* 8, ff. de Publiciana in rem actione.

(62. Ut autem Conjugatus possit promoveri ad Cardinalatum, requiritur ingressus Uxoris Religionem solum in illo casu, in quo requiritur ingressus pro Uxore conjugati promovendi ad Ordines; Sanchez lib. 7, de Matrim. disp. 41, n. 4; Pirhing. l. c. n. 63 in fine, et alii. Et ratio est, quia non habetur in hoc casu ratio, quæ aliud statuendum cogat, nec reperitur Jus speciale aliquid specialiter decernens de Uxore promovendi ad Cardinalatum, sicuti de Uxore promovendi ad Episcopatum reperitur in cit. *Sane* 6 de conversione Conjugatorum.

(63. Ut tamen Conjugatus possit promoveri ad Papatum requiritur, quod ejus Uxor, sicuti dictum est supra n. 61, de Uxore Episcopi, prius Religionem profiteatur; arg. cit. c. *Sane* 6, de conversione Conjugatorum.

(64. Conjugatus absque licentia Uxoris ad Presbyteratum, Episcopatum, Cardinalatum, et Papatum promotus, potest ab ipsa ad consortium conjugale revocari, et tunc teneretur ei debitum reddere. Et ratio est, quia Conjugatus per talem promotionem non potuit præjudicare Juri, quod habuit Uxor in Corpus ipsius, juxta Apostolum I ad Corinth. c. 7, n. 4, ibi : « Similiter autem et Vir sui corporis potestatem non habet, sed Mulier, » etiamsi bona fide promotus fuisset,

quin scandalum, et perturbatio oriretur, ut Antoine tom. 2, tract. de matrim. quæst. 9, animadvertit, cui concinit etiam Cabassutius in Theor. et Prax. Juris Canon. cap. 28, ubi habet, non posse Conjugem Religionem ingredi, nisi adulterium juridice probetur. (*Nota Rom. Theologi.*)

putans Uxorem jam fuisse mortuam. Vide verb. *Papa* art. 1, n. 50.

(65. Non posset tamen talis Conjugatus debitum petere quia obligaretur voto Castitatis annexo Ordini Sacro suscepto, quod votum servare teneretur, in quantum Lex Matrimonii permetteret, scilicet Debitum Conjugale non exigendo, quamvis illud reddere posset, et teneretur. *Communissima*.

(66. Nec talis Conjugatus posset, mortua dicta sua Uxore, ad alias nuptias transire, et si de facto aliud Matrimonium contraheret, illud esset nullum: Votum enim annexum Sacro Ordini est solemne, adeoque impedit Matrimonium in posterum contrahendum, ac dirimit contractum; cap. Unic. de voto in 6. Reiffenstuel lib. 3, Decretal. tit. 3, num. 39 et 40. Pirhing. lib. 3, Decretal. tit. 32, n. 61, verb. *Notandum secundo*; Abbas in cap. *Placet* 12, de conversione Conjugatorum n. 7. Sanchez loc. cit. disp. 38, n. 24, et alii passim.

(67. Nec valet obijcere, quod sicuti Conjugatus, qui sine licentia Uxoris est professus Religionem, et ab ipsa revocatus, post mortem illius ad alias nuptias transire potest, saltem valide, etsi non licite propter simplex votum Castitatis, juxta cap. *Quidam* 3, et cap. *Placet* 12, de convers. Conjug., ita etiam Conjugatus qui sine licentia Uxoris est promotus ad Sacros Ordines, et ab ipsa revocatus, post mortem illius ad alias nuptias saltem valide, etsi non licite transire poterit. Non valet, inquam, cum adsit magna disparitas, et ratio disparitatis, seu diversitatis est, quia in tantum Conjugatus sine licentia Uxoris professus, et ab ipsa revocatus post mortem illius ad alias nuptias saltem valide transire potest, quia talis Professio fuit irrita, et invalida, adeo ut nec mortua uxore teneatur ad Religionem redire, per text. in c. *Quidam* 3, et c. *Placet* 12, de convers. Conjugator. juxta dict. supra n. 13, et ideo per illam Professionem irritam, et nullam non potest dirimi Matrimonium subsequens, sicque si talis Conjugatus mortua Uxore aliud Matrimonium contrahat, erit validum, quamvis illicitum, ex quo licet defectu consensus, et licentiae Uxoris suum votum non fuerit solemne, fuit tamen simplex Castitatis. At vero Ordo Sacer etiam sine licentia Uxoris est valide collatus, et receptus, et in ejus collatione et susceptione ex Ecclesiae constitutione intervenit, non solum votum simplex sed et solemne Castitatis, aptum ad impediendum Matrimonium in posterum contrahendum, et ad dirimendum jam contractum; text. express. in cap. Unic. de Voto in 6, adeoque talis Conjugatus in Sacris Ordinatus non posset, sicuti posset Professus, mortua Uxore, ad alias nuptias valide transire, et si de facto aliud Matrimonium contraheret, illud esset nullum; Sic Abbas in cit. cap. *Placet* 12, n. 7, de Convers. Conjug. Sanchez lib. 7, de Matrim. disput. 38, n. 24, Pirhing. lib. 3 Decretal. tit. 32, n. 81, vers. *Notandum secundo*, et alii.

(68. An autem si Conjugatus cum Uxoris spontanea licentia ad Ordines Sacros sit pro-

motus, et ipsa Uxor in saeculo manens perpetuam Castitatem non voveat, possit ab ipsa revocari ad consortium Conjugale: discurrendum est juxta d. distinctionem supra num. 23, uti praeter Doctores ibi citat. tenent etiam Glossa in cap. *Seriatim* 14, verb. *Post mortem* dist. 32. Henric. Boich. in cap. *Uxoratus* 5, num. 12, de convers. Conjug. Angel. verb. *Matrimonium* 4, num. 9, apud Fagnan. in cit. cap. *Uxoratus* n. 9, quamvis ipse ibi num. 8, dicat, quod consentiunt omnes, tam Theologi quam Canonistae, quod tali casu absolute non possit Uxor revocare Virum, cum eo ipso, quod licentiam dederit Viro suscipiendi Sacros Ordines censeatur etiam vovisse Castitatem et privatam esse usu Conjugii, et consequenter etiam Jure revocandi Virum.

(69. Si Conjugatus cum licentia spontanea Uxoris Sacros Ordines suscepit, tunc Uxor non potest eo mortuo, valide aliud Matrimonium inire; cap. *Quia sunt* 10. dist. 28, et ibi Glossa final. Azorius part. 1, lib. 13, cap. 14, q. 11. Sanchez loc. cit. disp. 40, n. 3, Pirhing. loc. cit. n. 61, vers. *Notand.* 14. Et ratio est, quia ex Ecclesiae Constitutione ob reverentiam Ordinis Sacri suscepti a Viro cum spontanea licentia Uxoris voventis Castitatem, ipsa quoque reddita est inhabilis ad aliud subsequens Matrimonium in eundem.

(70. Si autem Vir Ordinem Sacrum susceperit Uxore contradicente, vel ignorante, potest ipsa, eo mortuo, aliud Matrimonium valide contrahere, quia delictum Viri non debet praedjudicare Uxori, cum peccata suos debeant tenere auctores; cap. *Quaesivit* 2, de his, quae fiunt a majori parte Capituli; l. *Sancimus* 2, Cod. de poenis. Nec debet aliquis alterius odio praegravari; cap. *Non debet* 22, de Regul. Juris in 6, l. *Non debet* 74, ff. de Regul. Jur. Et rem, quae culpa caret, in damnum, vocari non debeat; capit. *Cognoscentes* 2, de Constitutionibus. Sic Sanchez loc. cit. n. 4. Pirhing. loc. cit. n. 61, vers. *Notandum* 3, et alii passim.

(71. Conjugatus sine spontanea Uxoris licentia ad Ordinem Sacrum transiens fit irregularis, et nequit, durante Matrimonio, immo nec Matrimonio per obitum, aut Professionem Religiosam Uxoris soluto, in suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi, nec ad aliquod Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum promoveri, nisi aliquam de Religionibus approbatis canonice fuerit ingressus, quo casu poterit Episcopus super praemissis cum eo dispensare. *Communis*, text. express. in Extrav. Antiqua Joan. XXII, de voto et voti redemptione.

(72. Et si Matrimonium nondum fuerit consummatum, talis Conjugatus sine spontanea licentia Uxoris ad Ordines Sacros promotus est instanter monendus, et inducendus ab Episcopo ad Religionem ingredendam; et si Religionem noluerit ingredi, si sponsa ejus institerit, est per Ecclesiasticam Censuram ad consummandum Matrimonium compellendus. *Communis*, textu espresso in cit. Extravag. *Antiquae* in fine, ibi: « Ad

ingressum hujusmodi sic ordinatum (si Matrimonium consummatum non fuerit) per Dioecesanum instanter moneri praecipimus, et induci. Quod si forsitan renuerit adimplere, ipsum (si sponsa ejus institerit) per Censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus contractum Matrimonium consummare. »

(73. Si unus Conjugum pro certo cognoscat invaliditatem Matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie Ecclesiae probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum, non obstante, quod per sententiam Judicalem Ecclesiae, vel etiam per Excommunicationem ad id compellatur, aut ab altero Conjugate absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitae periculo, discedere nequeat. Vide verb. *Debitum Conjugale*, Art. 1, n. 51 et 52.

(74. Quando Conjuges debitum Conjugale nossint, et debeant reddere, vel non? Vide d. verb. *Debitum Conjugale*, Art. 1, per tot.

(75. Quoad ea, quae concernunt dispensationem super impedimento petendi debitum Conjugale, vide d. verb. *Debitum Conjugale*, Art. 2, per tot.

(76. Quando, et quomodo possint, vel non Conjuges facere divortium. Vide verb. *Divortium per tot*.

(77. Conjuges opus Conjugii exercentes ob solam voluptatem, non vacant culpa veniali. *Communis*. Contraria enim opinio est expresse damnata ab Innocent. XI, Die 2 Martii 1679, proposit. 9, ibi: « Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. »

(78. Conjugum in actu conjugali cum sua, se morose delectans in alia, velut praesente, peccat mortaliter, et addit speciem adulterii in Confessione explicandam. Vide verb.

CONSANGUINITAS.

Vide verb. *IMPEDIMENTA DIRIMENTIA MATRIMONIUM*, verb. *COGNATIO*.

CONSCIENTIA.

SUMMARIUM.

1. Conscientia quid sit. — 2. Assignatur differentia inter Conscientiam, et Synderesim, usque ad n. 3. — 4. Conscientia ab aliquibus dicitur quasi concludens scientia; a divo Bernardo dicitur quasi *Cordis Scientia*; a Divo Thoma quasi *cum alio scientia*; Et ab aliis quasi *cum seipso scientia*, usque ad n. 6. — 7. Conscientia partim respicit opera nostra praeterita, vel ea accusando tamquam malefacta, vel ea commendando tamquam bene facta. — 8. Et partim respicit opera instantia, vel futura dictando, quae agenda sint tamquam bona, et quae omittenda tamquam mala, et turpia. — 9. Conscientia est intrinseca, et proxima regula, juxta quam homo tenetur dirigere suas actiones. — 10. Lex autem est regula extrinseca, et remota, prout est radix, unde oritur bonitas, vel malitia objecti. — 11. Potest contingere ut actus sit bonus et objectum in se malum, et e contra. — 12. Actus intellectus practici, quo indicat aliquid esse bonum, vel malum, aut indifferens in genere moris, et ut tale illud proponit voluntati vocatur proprie *Conscientia*. — 13. Conscientia dividitur in Rectam, Erroneam, Dubiam,

Adulter, Art. 1, n. 6, et verb. *Delectatio morosa* n. 26.

(79. Delectatio morosa de actu conjugii inter conjuges praesentes, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale. Vid. d. verb. *Delect. morosa* n. 24.

(80. Immo Conjugum neque mortaliter peccat, si de maritali copula, altero conjugate absente, cogitans, in re cogitata morose delectetur. Vide ibid. n. 25.

(81. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quae fiunt inter Conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad Sodomiam quamdam inchoatam, sunt peccata mortalia; alias non sunt nisi venialia. Vid. verb. *Luxuria* n. 88, verb. *Tactus* num. 12, 13 et 14.

(82. Conjuges an, et quas donationes possint sibi invicem facere? Vide verb. *Donatio*, Art. 2, a n. 13, ad n. 29.

(83. Quoad ea, quae concernunt bona Conjugum. Vide verb. *Bona*, Artic. 4, a n. 1 ad 37.

(84. Quibus prius subvenire debeant Conjuges, in extrema, gravi, et communi necessitate? Vid. verb. *Necessitas* a n. 25 ad 37.

(85. Ad quem Conjugem spectet proprietas, et dominium dotis, et quid de ipsa in variis casibus? Vid. verb. *Dos*, Art. 1, et Art. 3, per tot.

(86. Alia ad rem Vid. verb. *Adulterium* verb. *Bona*, art. 4, verb. *Debitum Conjugale*, verb. *Delect. morosa*, verb. *Divortium*, verb. *Donatio*, verb. *Luxuria*, verb. *Maritus*, verb. *Impedimenta Matrimonii*, verb. *Matrimonium*, verb. *Necessitas*, verb. *Sepultura*, verb. *Tactus*, verb. *Uxor*.

Additiones ex aliena manu respicientes ingressum Religionis post Matrimonium contractum et consummatum reperies in verb. *Matrimonium* art. 5.

Probabilem, et Scrupulosam. — 14. Conscientia recta, seu certa, quae sit. — 15. Conscientia erronea, seu falsa, quae sit? usque ad n. 16. — 17. Conscientia erronea dividitur in invincibilem, et vincibilem, et quae utraque sit. — 18. Conscientia erronea sive sit vincibilis, sive invincibilis, obligat negative ad actum dictatum. — 19. Conscientia erronea invincibilis obligat ad actum dictatum non solum negative, sed et positive. — 20. Conscientia erronea vincibilis non solum obligat positive, ut eam sequamur, sed neque licite ipsam sequi possumus; obligat tamen, ut eam deponamus; ita ut sive juxta eam, sive contra eam agamus, semper peccemus. — 21. Qui peccat ex Conscientia erronea, peccat peccato ejusdem speciei, et qualitatis, quam intellectus judicat. — 22. Conscientia dubia quae sit. — 23. Assignatur differentia inter conscientiam dubiam et probabilem. — 24. Conscientia dubia varie dividitur juxta varias divisionem dubii. 25. Dubium primo dividitur in speculativum, et practicum; et quid sit utrumque, ad n. 26. — 27. Secundo dividitur in dubium positive, et negative, et quid sit utrumque, ad n. 28. — 29. Tertio dividitur in dubium juris, et dubium facti, et quid sit utrumque, ad n. 30. — 31. Qui